

Carl Arnd

**Rector Academiae Rostochiensis, Carolus Arndius, Lingv. Hebr. & Catech. Sacr. Duc. Prof. Publ. Ordin. Ad Funus Indictivum Viri ... Dn. Georgii Niehenckii, Philosophiae Doctoris ... Qvod ... hodie adornant, & Nostris, Academicorum Ordinis, frequentia condecorari exoptant, Vidua Luctuosissima Liberique Mæstissimi. Omnes omnium ordinum Cives Academicos ... invitat : [P.P. Sub Sigillo Rectoratus Academici ipso die Exeqviarum d. XIII. Junii A. R. S. MDCCXIV.]**

Rostochii: Weppling, [1714]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn76898811X>


Druck Freier  Zugang



Arnd, C.,  
in  
**G. Niehenck.**

Rost. 1714.

6.




RECTOR  
Academiæ Rostochiensis,  
**CAROLUS ARNDIUS,**  
Lingv. Hebr. & Catech. Sacr. Duc. Prof. Publ. Ordin.

*Ad*  
Funus Indictivum

VIRI PER QVAM VENERABILIS AC  
PRÆCELLENTISSIMI,

**DN. GEORGII  
NIEHENCII,**

Philosophiæ Doctoris Laudatissimi, ad  
Ædem sacram, eamq; Marianam, Pastoris Primarii vigilan-  
tissimi, longè Meritissimi, Rever. Ministerii Rostochiensis Se-  
nioris, pro vectâ maxime ætate & amplissima officii  
dexteritate Gravissimi.



*Quod*

animæ emigrationem, & ad æterna decora transitionem,  
Ex animo Corpori  
hodie adornant, & Nostri, Academicorum  
Ordinis, frequentia condecorari exoptant,

**Vidua Luctuosissima Liberiqve  
Mœstissimi.**

Omnes omnium ordinum Cives Academicos  
Eâ, qua fas est, humanitate, Studiose invitat.

---

ROSTOCHII, Typis JOH. WEPPLINGII, SERENIS. PRINC.  
& ACAD. Typogr.

*Handwritten signature or mark in red ink.*



## Agnum illud ageba-

tur nuperè Exornationis Sanctissimi Spiritus Festum, Cives O. O. H. in quo, simili quodam præfenti, scriptionis genere, Sanctioris illius lætiorisve Festivitatibus argumenti occasione differēbam Vobiscum plusculis, de incomparabilibus exornantis Domini ornamentis, quæ per gradus certos sanctificantes in animis genuinorum fidelium & maximè majesticum copiosumque in modum præparantur atque compinguntur, & ad salutem ipsorum tam gratiosam, quam gloriosam, ineffabili testimonio præservantur atque obfirmantur; ornatissimum hodiè paratur Grandævi cujusdam Senis, deq; officio Sacro longè meritissimi monumentum, idq; sepulchrale, cujus tristioris acerbiorisque occasione argumenti nonnulla prælibare gestio; de ornamentis illis condecorantis Domini gratiosissimis, quibus fideles etiam Verbi sui & Cultus Divini Ministros ad omnes singulasq; Ministerii Sancti functiones saluberrimum in modum instruit, & in hac Vita & post hanc Vitam largissimum augustissimumq; in modum coronat. Svavissimam prælibandi quædam de ornamentis his Ecclesiasticis, sicut olim Sacris, copiam suppeditavit mihi illustre maximè & ponderosum Divini Psalmistæ oraculum (Ps. LXXXIV. v. 5. 6. 7. 8.) quo *Beati prædicantur Habitatores Domus Divinae, laudantes constanter Dominum: Beati homines illi, quorum fortitudo posita est in Deum; quorum in corde via strata, eæque divinæ; transeuntes per vallem Mori, fontemq; ponentes eam; etiam benedictionibus operientes*

rientes

*rientes sese* (cooperti, juxta alios, juxta B.Lutherum, condecorati) *Doctores; cunctes de virtute in virtutem, videntesque Deum Deorum in Sione*; adeoq; satis abundanter exornati commendantur Verbi & Cultus Divini Ministri Ecclesiastici, tum Magnalium Divinorum in Ecclesia Deo dicata constantissimâ annunciatione & dilaudatione, tum fidei & vitæ ad voluntatem regulamque divinam compositione rectissima; tum in omni transgressionum ærumnosarum genere consolatione validissima, tum benedictionis, virtutis, visionisque divinæ, & temporalis & æternæ, instructione beatissima. Non diffundo me nunc, nec pro ratione scopi, aut constrictarum paginarum, diffundere possum, in ampliorem oraculi jamjam adducti explicationem, aut Philologicam, aut Exegeticam, sed in quantum præsentis instituti & scribendi permiserit conditio, paucis tantum insinuo, ornatus condecorantis Jehovahæ Sacerdotalis præcipuum allegato in Textu Sacro momentum, esse nempe *ornatum* illum non otiosum, sed *frugiferum* beatissimo cultus Deo placentis exercitio, quod à genuinis Doctoribus, si non corpore, animo certè semper peragitur, agnitionis salutaris, invocationis devotæ, gratiarum actionis perpetuæ, confessionis integerrimæ, aliorumque pietatis officiorum ex præscripta Verbi Divini norma notiffimorum: *religiosum* itidem, terentem secum *religionem vera Doctrina*, Verbo Dei revelato in omnibus fidei capitibus exactissimè conformis, *vera fiducia*, omnem spem in Deum collocantis, & toto animo in ipsum recumbentis, *amulationis vera*, semitis gratiæ & gloriæ divinæ, supernè datis viribus, acriter & perseveranter insistentis. Præ-

tereà non frugiferum solum & religiosum observo  
descriptum ab Hieropsalte Ministrorum Sacrorum  
ornatum, sed & *consolatorium*, sublevatum præsentif-  
simo Paracleti, omnium Optimi & Maximi, Spiri-  
tus Sancti, testimonio, eodemque maximè solati-  
fluo, à parte Doctorum transeuntium per vallem  
Moris abundantem, steriles, scilicet, aridas, inanes so-  
litudines, (Moris quippe in locis sicciorebus progna-  
scentibus) h. e. varias difficultates, persecutiones &  
omnis generis ærumnas, consolationesque adver-  
sus easdem divinas intimo serioque cordis desiderio  
quærantium: sed & *Benedictum gratia divina*, ejus-  
que docentis, illuminantis, adjuvantis, perficien-  
tis, plenitudine copiosissimâ, *virtute divina* eâque  
potentissimâ, Doctores eosdem nervosissimè confor-  
tante, & in iisdem accumulata illa adversa felicif-  
simè supervincente: *visione divina*, eaque jucundissi-  
ma, in Sanctuario gratiæ per fidem in Verbo & Mini-  
sterio Sacro, tanquam symbolis & pignoribus præ-  
sentia gratiosæ certissimis, in Sanctuario gloriæ,  
de facie ad faciem, remotis omnibus symbolis &  
pignoribus anigmaticis, æterna cum vita, æterna-  
que cum abundantia conjunctissima. Imò verò &  
præmium paucis attingo, quod contextum paulò  
penitus inspiciens, deprehendo quoque Doctorum  
Ecclesiasticorum gravissimè decorum, *defensionem*  
videlicet *munitissimam*, qua mediante, cum Præco-  
ne justitiæ, Noacho, Castitatis, Lotho, Sanctita-  
tis, Elia, Integritatis, Nathane, Humilitatis, Jo-  
na, aliisque veritatis pariter ac puritatis cœlestis  
Prædicatoribus, tam Sacris, quam Ecclesiasticis, Do-  
ctores illi, adversus hostium plurimorum eorum-  
que

que sæpius infensissimorum , tam Spiritualium  
quàm Corporalium, truculentissimos insultus, sub  
umbraculo omnipotentiae divinæ tutissimi, lætissi-  
miquè delitescunt: & *remunerationem clementissimam*,  
cujus beneficio, omnia ipsorum conamina, omnia  
studia, omnia officia, & ad promovendam Jehovah  
exornantis gloriam & ad procurandam Ecclesiae con-  
creditae ædificationem quam fidelissimè adhibita, hic  
in tempore gratiae muneribus divinæ clementiae  
gratiosissimis, & ibi in æternitate gloriae, mune-  
ribus plenitudinis divinæ gloriosissimis abundantis-  
simum in modum compensantur. Atque hæc sunt  
illa, quæ hæctenus præfaminis instar insinuavimus  
potius quàm deduximus, quoad maxime principa-  
lia Capita, ornamentorum pariter ac præmiorum  
divinorum, quæ fidelibus, in Ecclesia & pro Ec-  
clesia his in terris Dei genuina, militantibus Docto-  
ribus & Ministris, largiter clementerque obtingunt,  
quæque obtigerunt etiam, dum adhuc versaretur in  
hac mortalitate, Venerabili quondam, nunc Bea-  
to Seni, Viro scil. Admodum Reverendo, Præcel-  
lentissimo, Amplissimo, præclarè docto, DN. GE-  
ORGIO NIEHENCKIO, sub ultima vitæ tempora,  
Ecclesiae hujus loci Marianæ Pastori Prim. Vigilantis-  
simo, dexterrimo, de omnibus & singulis functioni-  
bus, quas obiit, Sacris & Ecclesiasticis diutissime  
optimeque meriti, quippe cujus exuberantia, in vita  
& post vitam decorum & præmiorum divinorum  
Sacerdotes coöperientium, documenta, luculentissi-  
mè constabunt, ex ornamento ejus, quod apud nos  
Literatis, & Honorationibus tribui solet, Academico,  
vitæ nempe in hac mortalitate probè transactæ in-



signi breviario ; quod in sequentibus paginarum li-  
nearumque subductionibus , publico hoc scripto ,  
Optimis quibusvis, Sacris præsertim officiis addictis,  
more recepto concessoque subsidio , quantum in me  
erit , commendandum. Natus est Beatus Noster  
jamjam laudatus , A. R. S. 1628. in Civitate Lu-  
neburgensium florentissima , Salinarumque fontibus  
fecundissimis celeberrima , & quidem circa Fe-  
stum S. Michaeli Archangelo, aliisque cœlestibus Spi-  
ritibus, in gloriam divini ejusque tutelaris præsidii,  
per eos nobis exhibiti , solemnissimè dicatum, Pa-  
tre , HENRICO NIEHENCKIO , Cive apud  
Luneburgenses & Mercatore , Integritate pietateque  
nemini secundo : Matre, ELISABETHA PARISIA,  
Fœmina pientissima pariter ac omnibus sexus mulie-  
bris virtutibus decoratissima. Renatus Sacrosancto,  
ordinariè Summè necessarij summeque salutaris Ba-  
ptismatis Lavacro, eodemq; in Sanctuariū Ecclesiæ mi-  
litantis verè Christianum transpositus, provida etiam  
Dei cura sollicitâq; Parentum Venerandorum educati-  
one, ad annos illos pueriles delatus, quibus Scholas fre-  
quentare, literasq; imbibere, potis fuit, Præceptoribus  
usus est in Schola Luneburgensium Patria & quidem  
Johannea, *Jordano Reimaro & Drellio*, in Schola Hol-  
fatorum Flensburgensi, *M. Georgio Loffio*, Rectore, &  
in Schola Lubecensium instructissima , Rectore, *M.*  
*Sebast. Mejero*, Con-Rectore, *Henrico Bangerto* & Sub-  
Rectore *Jacobo Rôckerto*, Viris sanè eruditione &  
virtutibus in orbe literato præclarissimis, merito-  
rumq; scholasticorum memoratu dignorum laude &  
gloria præcellentissimis. Instructus ab his, omnibus  
& singulis Propædeumatum Sacrorum, Philologico-  
rum

rum & Philosophicorum subsidiis necessariis æque ac salutaribus, iisdemq; ad studia Academica eò feliciter solidiusq; pertractanda, exoptatum in modum præparatus, annum seculi sui ingressus quadragesimum nonum & ætatis suæ vigesimum egressus, ad Gryphiswaldensem se contulit Academiam, ibidemq; fundamenta sua, & Theologica, & Philologica & Philosophica diligentissimè excoluit, excolta atq; ornata locupletavit, firmamentisq; egregiis consolidavit, sub auspiciis Summorum Theologorum, *D. Abrah. Batti*, *D. Joh. Beringii*, & *D. Joh. Frid. Königii*, (Theologi postea Rostochiensis & Soceri sui maximè venerandi) Magnorumq; Philosophorum, in specimenibus confestim subjungendis nominibus suis designandorum. Non acquievit enim in hauriendis comparandisque à tantis Theologis, tantisque Philosophis, studiorum omnis generis ornamentis ac præfidiis, sed hausta ab iisdem debitâ ratione & comparata, communicare cum aliis laudatissimum in modum secum constituit, & hunc in finem sub Præsidio *D. Dan. Lagi*, S. S. Theol. t. t. Prof. Extraord. *Dodecadem Quæstionum Theologicarum* contra *Wendelinum*, sub Præsidio *Joh. Michaelis*, Philos. t. t. Doct. & Eloqv. Prof. dehinc S. S. Theol. Doct. & Prof. Consistor. Adsess. & Pastoris *Jacobæi*, Disputationem Philologicam, *de Natura & Constitutione Philologiæ*, sub Præsidio *Georg. Schlieffii*, Phil. Doct. Log. & Methaph. Prof. Publ. Disputationes Philosophicas *de Conceptu Entis*, *de Existentiâ & Quiditate Entis*, *de Ubierate*, *de Duratione*, *de Necessitate & Contingentiâ*, aliamq; occupatam *circa Theses ex Universa Methaphysica* desumptas, easque selectas, & sub Præsidio *M. Georg. Preussii de Actionibus Magicis*, publico in  
confli-

conflictu, eoqve Academico, pro viribus defendit, adeoque optimè meruit, ut à Præcellenti quondam, nunc Beato, MANTZELIC, in Schediasmate Literario *de Georgiis famâ & eruditione præclaris*, Lemmate LXXXI, Georgiis accenseretur *Præside Georgio Disputantibus*, sicqve vel hoc nomine memoria ejus, Georgios inter Eruditos, redderetur perpetua. Nec in isto substitit communicationis Academicæ publico exercitio, quod Respondentium exornat Cathedram, sed & cum Ampliiss. Facultas Philosophica frequentibus istis & feliciter exantlatis specimenibus inducta, Summum ei in Philosophia Gradum Anno 1654. Decano & Brabeuta Spectatissimo, GEORGIO SCHLIEFFIO, aliquoties jam antea laudato, sua sponte conferret, ipse verò probare intendet, non frustranea ratione collatum sibi esse Summum in Philosophia Honorem, ad illud se accinxit communicationis Academicæ publicum Exercitium, quo, Cultoribus studiorum omnis generis Nobilissimis, Prælectionibus tam publicis, quam privatis, varia omnigenarum Scientiarum suppeditavit momenta, quove Præsidium sæpiusculè exornare haud gravatus est Cathedram Philosophicam, non tantum Disputationes quasdam Metaphysicas, utpote *de Unitate & Unione*, item *quinque Theses ex Metaphysicis depromptas*, debito Eruditorum examini in publico Auditorio submittendo, sed *integram quoque Metaphysicam* pariter ac *Ethicam*, Thesis selectis typis Academicis expressis comprehensam, privatæ Auditorum ventilationi in Domicilio suo certis diebus horisque certis subjiciendo. Transacto sic apud Musas Gryphiswaldenses Exercitationibus his & Frequentationibus

nibus Academicis, septem annorum, & quod illud superavit, semestri spatio, cæteris ex denegata sibi facultate Academiis prætermiſſis, ad Almam Musarum Rostochiensium accessit Sedem, & in eadem exercitationes has & frequentationes Academicas diligentissimè præclarissimèque continuavit, partim in Cathedra inferiori respondendo, sub Præsidio Incomparabilis suo tempore Theologi D. Aug. Varenii, Hebr. & Catech. Christ. Prof. t. t. longè gravissimi, meritissimi & in schola ejus Jsaiana Dissertationem X. Partis II. quæ posterior est Orationis Propheticæ de *Massa Midbar-jam* seu *Deserti maris* ex Esaiaë XXI. defendendo: partim in Cathedra Præsidentium superiori Disputationes aliquot Philosophicas, easque Metaphysicas, utpote de *Existencia*, *Quidditate*, & *Divisione Metaphysicæ*, de *Ente reali & conceptu ejus objectivo atque formali*, de *Entis principiis & attributis in communi illorumque divisione* egregia cum laude propugnando: partim Collegia visitando Theologica, & à Theologis isto tempore maximè Venerandis varias & exquisitas in omni Theologiæ genere doctrinas sibi acquirendo: partim Collegia aperiendo Philosophica circa Universæ Philosophiæ necessarium præcipuè ac fructuosum argumentum gnaviter occupata, & à Summè Rever. quondam, nunc Beato D. HABICHORSTIO, ex nomine M. Georgius Neuhenk sequenti lemmate dilaudata, *Hunc nosce egregium sequentique Epigrammate ulterioris declarationis ergo condecorata.*

*Egregium qui TE Sophia negat esse Magistrum,  
Ignorat studii puncta corusca Tui.*

*Vivida*

*Pivida restor Ego sophici documenta laboris*  
*Hunc proin Egregium, Zoile, nosce Virum.*  
Continuatis assidue his hactenus insinuatis stu-  
diis ac officiis Academicis, iisque Varniacis, genu-  
ino Philosophiæ Doctore pariter ac Cultore quam-  
maximè dignis, copioseque collectis exinde ad Ec-  
clesiastica & Scholastica Munera instructionibus re-  
quiritis, præter communem Literatorum literisque  
faventium amorem ac favorem, singularem etiam  
sibi conciliavit amorem atq; favorem Inclytæ hujus  
Civitatis Patrum Gravissimorum, & quidem amorem  
in eo, quod *B. Joach. Kleinschmidius*, Consul quondam hu-  
jus Civitatis Prænobilissimus æq; ac Meritissimus, Fi-  
liam suam dilectissimam, ex Uxore sua Mellitissima  
ornatissimaq; *Wendula Korffs*, progenitam, adeoq; *B. Joh.  
Korffs*, Consulis itidem quondam de hac Civitate opti-  
mè præclarissimeq; meriti neptem exortam deside-  
ratissimam, Virginem scil. lectissimam omnibusque  
sexus sui decoribus fulgidissimam MARGARETAM  
KLEINSCHMIDIAM Anno 1660. circa Purificatio-  
nis Mariæ Festum in amplexus thalamumque ejus ve-  
nire jussit, ut ex eadem suscipere potuerit, actu-  
que susceperit duos Filios suavissimos, *Henricum* at-  
que *Joachimum*, tres itidem Filias scitissimas, *Catharinam  
Elisabetham*, *Wendulam Margaretham*,  
& *Margaretham Catharinam*, in ipsa ex parte in-  
stantia tenera, ex parte in optimo ætatis flore, præ-  
mature quodam letho demortuas. Favorem verò  
expertus est in eo, quod Prudentissimus, Amplif-  
simusque Civitatis hujus Senatus ad denominatio-  
nem Excellentissimorum Professorum, eorumque Sena-

Senatoriorum, sequenti Anno 1661. ad Professionem  
Phyf. & Metaphyf. unà cum Præcellentissimo, Re-  
ligiofifimoque *M. Hermanno Beckero* ipfummet præ-  
fentârît, *Beckeroque* ad Professionem illam folen-  
niter & legitime electo, ad Scholæ oppidanæ Con-  
Rektoratum benigniffimè vocarit, & postquam per  
septennium, & quod excurrit illud, fideliter officio  
illo Scholastico defunctus, Anno fequenti 1669. eun-  
dem Ecclefiæ Jacobææ cum prælaudato iterum *Be-  
ckero*, Phyf. & Metaphyf. t. t. Prof. Publ. aliisque ad  
Diaconatum exhibuerit, *Beckeroque* denuò iustum  
debitumque in modum electo, eodem ftatim anno  
ipfum illum ad Scholæ Oppidanæ Rektoratum eve-  
here haud fuerit dedignatus. Quemadmodum au-  
tem omnes amores honoresque mundani, ficut o-  
mnia mundana, non meri effe folent, fed mixti,  
non perfecti, non ex omni parte felices ac tranqvil-  
li, ita & amor Beati Noftri in Conjugio primus &  
Honor in Scholis primus, non merus fuit, fed mix-  
tus, nec perfectus, nec omni ex parte felix & tran-  
quillus, interturbatus quippe & adverfus redditus An-  
no 1676. mense Junio, acerbiffimâ morte, ductæ an-  
tè fedecim annos in matrimonium, memoratæ fu-  
pra Conjugis Kleinschmidianæ, intensiffimè dilectæ;  
redintegratus tamen & fecundus redditus fequen-  
ti ftatim Anno 1677. & quidem circa Fefturn circi-  
ter Michaeliticum, Nuptiis fecundis, iisque auspica-  
tiffimè contractis, cum Virgine t. t. Prænobiliffi-  
ma CATHARINA KÖNIGIA, *B. Joh. Frid. Kö-  
nigii*, (S. S. Theol. Doct. olim, ejusque in hac Alma  
Prof. Primar. Confift. Duc. Adfeff. & Diftrictus Me-  
cklen-

eklenburgici, speciatim sic dicti, simul & Razeburgi-  
ci, Superintendentis, Theologi in Ecclesiis & Aca-  
demiis, nostra præsertim, & quidem subfelliis The-  
ologorum, sicut omnia quoad scripta, ita quoad  
Compendium inprimis Theologiæ Positivæ, ejus-  
que usum, adhuc hodiè cognitissimi, Æstumatissimi)  
& *Margaretha Rhawen*, (Natae desideratissimæ *B. Bal-  
thasaris Rhawii*, S. S. Theol. Licent. & apud Gry-  
phiswaldenses olim Prof. deinde Superint. Stralsun-  
densis, Theologi solidissimi pariter ac in Ecclesiis &  
Academiis adhuc dum celebratissimi.) Filia natu Ma-  
jori, omniqve virtutum Fœminearum genere ma-  
xime conspicua, Matrona ætate nunc Veneranda, Vi-  
dua hodiè Luctuosissima, cui solatium proinde Di-  
vinum, idqve omnium efficacissimum, votis qui-  
bus possum, integerrimis apprecor. Mansit & alter  
hic Conjugii posterioris amor pariter ac honor pro  
modo & statu omnium mundanorum temperatus  
mixtusqve tam Bonis, quàm Malis, tam felicibus,  
quàm adversis, etiam quod liberos attinet, concur-  
rente Benedictione Divina in eodem progenitos,  
quorum ex Filiis primus, **GEORGIUS FRIDE-  
RICUS**, S. S. Theol. Doctor Celeberrimus, Ec-  
clesiæ Gothoburgensium Germanicæ Pastor Prima-  
rius, isqve Vigilantissimus, nec non Consistorii  
Regii Adfessor Gravissimus, cum *Agneta Catharina  
Siricia*, Summi quondam in hac Universitate Theol.  
Doct. & Profess. Publ. Districtus Mecklenb. Rostoch.  
Ephori, nec non Concionatoris Aulici Güstrovien-  
sis & Consiliarii Ecclesiastici longè meritissimi, Filia  
laudatissima decentissimaque, Matrona spectatissima,  
plurimis

plurimis abhinc annis vinculo matrimoniali con-  
 junctus, sed dulcissimis in eodempignoribus per omne  
 illud tempus ad hodiernum usque nostrum destitutus-  
 secundus JOHANNES BALTHASAR, Philo-  
 sophiæ Magister Præclarissimus, laboriosissimus:  
 Tertius AUGUSTINUS BARTHOLDUS, Mer-  
 cator Civitatis hujus Nobilissimæ Præstantissimus,  
 dexterrimus, qui Anno 1712. matrimonio sibi copu-  
 lavit ANNAM BARBARAM à WINDESHEIM, Pa-  
 storis quondam Anclamensium Religiosissimi Fili-  
 am, Fœminam honestissimam pariter ac virtuosis-  
 simam, filiolumque cum eadem exosculatus est  
 suavissimum, natum quidem in hanc lucem, sed  
 brevi tempore iterum denatum: Quartus CHRI-  
 STIANUS HENRICUS, Juvenis florentissimus  
 liberaliumque Artium studiosissimus: Quintus ipso  
 in partu extinctus, adeoque simulac utero Matris  
 exiit, gremio Terræ, communis Mortalium Matris  
 iterum demandatus est. Prima ex Filiabus ANNA  
 statim ac ad vitam hanc mortalem accessit per Na-  
 tivitatem, Baptismo, in casu necessitatis recepto,  
 Deo consecrata, è vita hac mortali iterum decesit,  
 secunda MARGARETHA ELISABETHA, Virgo  
 adhuc dum innupta, omnibus sexum Virginalem  
 decentibus virtutum ornamentis maximè corusca;  
 Tertia SOPHIA MARGARETHA, elocata in ma-  
 trimonium Viro Summè Reverendo atque Amplis-  
 simo, DN. CHRISTOPH. CONRADO GOE-  
 RITZIO, S. S. Theol. Doct. & Prof. Publ. Regiom,  
 Archi. Pastori itidem Wehlaviensi Excellentissimo,  
 Meritissimo, & in matrimonio isto, trina quidem,  
 Filii unius scil. & duarum Filiarum sobole divinitus



benedicta, ex qua tamen prima ipsa sub nativitate demortua, secunda anno ætatis quarto, post obitum matris verò primo, lue pestiferâ consumta, tertia ipsis iterum in natalibus, cum ipsamet Matre, luce vitali, summo cum Ven. Parentum dolore privata. Ex his hæctenus ita enumeratis, qui in vivis adhuc sunt residui, Liberi Mcestissimi, obitum Venerandî, dum viveret, & Parentis, & Soceri, filiali cum dolore, lacrymisque filialibus, acerbissimum in modum deplorant, adeoque & solamine indigent Consolatoris Optimi Maximi præsentissimo, quod ea, quâ par est, religione integritateque omnibus ipsis & singulis devoveo, simulque ad Honores revertor Beatè defuncti Senis Nostri, quibus amorum pignorumque Conjugalium recensio aliquantum abstractus sum, Honores nempe Sacros & Ecclesiasticos, ad quos, post sustentatos, per integrum quindecim annorum curriculum difficili cum industria, indefessaque fidelitate, Honores æque ac Labores Scholasticos, à Prænotabilissimo, Amplissimoque Civitatis hujus præclaræ Senatu, faventissimâ meritissimâque ratione promotus est, & quidem ita, ut Anno 1685. *Ecclesia hinc Petrina Diaconus*, ritè inter alios præsentatus, simul & *Ecclesiastes Lazarethanus*, genuinè sit electus atque constitutus, Anno 1687. B. Dn. D. *Henningio* ad eadem D. Jacobi Cathedralè ejusque Archi-Diaconatum evocato, *Ecclesia Spiritui Sancto hæc dicata Minister*, B. Dn. D. *Poltzio* associatus in ea Collega istaque specialis, Concionesque sustinens in eadem illa Sabbathicas: Anno 1696. adeoque post duodecim annos, quibus *Ecclesiæ Petrinæ Diaconatum* laudabiliter

biliter exornaverat, ejusdem *Ecclesia Pastor*, &  
Anno 1699. *Ecclesia Mariana Pastor Primarius*, sur-  
rogatus in locum Summè Reverendi quondam Ex-  
cellentissimique Theologi pariter ac Philosophi,  
nunc etiam Beati, *Francisci Wolffii*, ad *Ecclesiæ*  
*Hamburgensium Nicolaitanæ* Pastorum t. t. le-  
gitimè primum vocati, & postmodum ordinati.  
Administavit Beatus Noster omnes & singulos  
illos hæctenus insinuos Honores, omnes & sin-  
gulos labores, Sacros & Ecclesiasticos, Virtute divi-  
na clementissimè confortatus, cura fidelissima, ope-  
raque dexterrima, plerumque solitaria, ad pro-  
vectam usque suam quam maxime Senectutem (Do-  
num quidem divinum & ornamentum Gratosis-  
simum, multis tamen magnisque infirmitatibus  
& molestiis obnoxium) Annum circiter 1708.  
quippe quo ipso, ut & annis subsequens, in le-  
vamen Honorum istorum ac laborum assumpti.  
Filium natu maximum, **GEORGIUM FRIDERI-  
CUM**, Conciones sacras, easque Sabbathicas in  
Templo Spiritus Sancti, Mercurialesque in Templo  
Mariano, filiali observantia Parentis loco absolven-  
tem. Cessante porrò quoad Templum Spiritus  
Sancti Officio ejus Sacro & Ecclesiastico, partim  
per spontaneam post obitum Aestimatisimi in eo-  
dem Collegæ, B. Dn. D. *Polizii*, à Beato Nostro fa-  
ctam abdicationem, partim per ordinariam Præ-  
cellentissimi *M. Eggerdesii*, optimè nunc de eodem  
merentis in illud ipsum surrogationem, & discen-  
dente deinceps Filio natu Maximo, insperata le-  
gitimæque vocatione, ad Pastorum *Ecclesiæ*  
Mal-

Malmögiensium in Scandia Germanicæ Primarium, levamen sacrorum in Templo Mariano sermonum, eorumq; Mercurialium, devolvit in Filium natu secundum, JOHANNEM BALTHASAREM, habentem eosdem vicario subsidio unâ cum allectis sibi, humanissimis petitis, ad Consensum Venerandi Parentis, Commilitonibus & Cultoribus Theologiæ Nobilissimis laudatissimisque, quibus & propterea gratias, quantas agere potest, maximas, publico hoc scripto persolvit Vidua hodiè Mœstissima. Ingravescente demum summa in senectute, difficillimo, quo ab ipsâ ferè juventute sua laboravit, Calculi morbo, nec annuo, ut ante solebat spatio, aut certis anni temporibus recurrente, sed quotidianis penè doloribus excruciante, nec solita amplius medicamenta, eaque semper aliàs probatissima, admittere gestiente, Pastorale quidem suum officium, tam diebus Sabbathicis in Cathedra Ecclesiæ suæ Confessionali, quam diebus, quibus licuit, Dominicis, in sacro ejusdem suggestu, maximas quamvis læpius inter infirmitates, observavit pariter ac procuravit. Annò tamen 1713. Dominica Vta post Epiphania, ultimam in Ecclesia ad Auditores suos publicè habuit Concionem, & octiduo circiter posthinc (illo ipso fere tempore, quo, summo cum nostro omniumque Bonorum luctu, diem suum præmaturè obiit supremum, B. Dn. D. Grapius, Frater ejus affinitate Coniunctissimus, Dilectissimus, Præsidium & Decus Academiae nostræ, totiusque Ecclesiæ genuinæ olim longè Nobilissimum, nunc longè Desideratissimum) ultima

ultima illa agrotare cœpit corporis debilitate, quâ  
publica Ministerii sui Sancti administratione de-  
buit abstinere, Confessionesque Sacras & actiones  
alias, quæ obvenerunt, Ecclesiasticas, ædibus  
suis privatis, quamdiu indulserunt vires, transige-  
re. Interim durante extrema hac Corporis sui  
mortalis agitudine, privataque Pastoralis sui  
muneris Actuum Sacrorum procuratione, prout  
omni omnino vitæ suæ & in eadem Ministerii in-  
primis Sancti tempore, frequentissimas, imò quo-  
tidianas, secum fovit Euthanasie Meditationes,  
hincque matutinas inter & vespertinas suas ora-  
tiones Ecclesiasticum etiam illud repetit Medita-  
tionis hujus monumentum: *Wenn mein Stünd-  
lein vorhanden ist* &c; ita moribundorum dolo-  
rissimo affixus lecto, meditationes mortis salu-  
berrimas æque ac beatissimas quotidiano præ-  
cipue exercitio excoluit, remedia terrorem ac-  
cusationemque mortis & privantis & corrup-  
pentis mitigantia, quinimò planè plenèque re-  
moventia, diligentissimè quæsivit & usurpavit,  
orationibus devotis, cum flagrantissimo Beatæ  
solutionis desiderio conjunctis, instantissimè  
vacavit, æquanimitate & patientia, omnium, eti-  
am exquisitissimorum dolorum, victrice, super-  
vincente divina instructus virtute, dolores omnes  
etiam acutissimos, ultimò hõc tempore toleravit,  
Sanctissimo plenitudinis & confortationis cœlestis  
epulo, Viatico morientium ab Antiquis Eccle-  
siae Doctoribus appellato, iisdemque propterea  
communicato, aliquoties, quinque septimanis  
scil. ante obitum Beatum, & hõc non obstante,  
octiduo ante abitum placidum spatio, Totum se-

se æternitati præparavit; cumque in ultima Com-  
munionem Sacra tanta laboraret virium imbecilli-  
tate, ut vix edere posset Confessionem Sacram,  
hincque à Confessionario ad edendum tantum  
gemitum admoneretur, nihilominus tamen va-  
ledictoriam hanc in mundo præsentis genuinæ  
pœnitentiæ confessionem, solito in reliquo vitæ  
curriculo more modoque, disertim inchoavit, &  
per Dei gratiam absolvit. Tribus ante discessum  
ex hac vita septimanis, magnâ ingruente virium  
defatigatione, cum Stephano illo fidelissimo, de-  
votissimo, exclamavit: Herr Jesu nimmi meinen  
Geist auff / continuationemque defatigationis,  
imminentisque mortis appropinquationem senti-  
ens, in hæc erupit verba, ad Dilectissimam suam  
aliosque præsentem t. t. directa: Ihr werdet es se-  
hen / ich sterbe an dieser Krankheit / und werde  
nicht wieder auff kommen / regerenteque Dilectis-  
sima illa nunc eheu! tristissima præsentem inter  
cæteros; Vater wolt ihr nicht bey uns bleiben?  
dilectis verbis respondit: Als es GOTT gefält;  
incedente porrò duabus ante emigrationem ex hac  
mortalitate septimanis nova, eaque graviore vi-  
rium defectione, aliquantulumque recedente,  
Pharmaca indicavit sibimet adhibenda, & nisi fu-  
issent adhibita, examinem se mansisse asseveravit.  
Redeuntibus hinc inde ab hoc ipso tempore ad  
extremum vitæ terminum, nunc minori, nunc  
majori cum vehementia periculosis virium deli-  
quiis, uti in antecedentibus plerisque, ita in his  
consequentibus, agonizanti Beato nostro paratissi-  
mum suum fidelissimumque subsidium, idque  
Sacrum, exhibuerunt Viri Maximè Reverendi &  
Am.

Amplissimi Dn. D. *Johannes Sensius*, & Dn. D. *Joh. Joach. Weidnerus*, Collegæ ejusdem, dum viveret, summoperè adamat, Honoratissimi, de Ecclesia Mariana & Sanctis circa eandem Ministeriis optimè excellentissimeque meriti, quibus & proinde, me Interprete, obstrictissimam se profitetur Vidua hodie Luctuosissima, & obstrictissimos se quoque profitentur liberi longè Mœstissimi, Maximè Reverendus imprimis DN. D. **SENSTIUS**, Confessionarius Beati Nostri Aestumatissimus, quippe qui in postremis illis deliquis, in quibus Beatè defunctus Senex jacebat apparebatque tanquam exanimis, infirmitati ejus lethifluæ subvenit, Dicitis Scripturæ Sacræ de Justificatione per Fidem in Christum, tam efficacissimis, quam solatio plenissimis, affirmativa particula, & quâ fieri potuit, clausula, à patiente deliquia his inter alia verbis confirmatis, *Ich verstehe alles wohl/ das ist auch mein Glaube/ drauff wil ich leben und sterben;* alloquiis item & colloquiis doctrina solatiisq; refertissimis & inter alia quam plurima, verbis illis maximè emphaticis: *Ich weiß/ an welchem ich glaube/* reliquis, per breviculam moram à Confessionario retentis, ab agonizante magnâ cum fidei plerophoria recitatis: *Und bin gewiß/ daß er mir meine Beylage wohl bewahren wird/ auch weder Todt noch Leben/ weder gegenwärtiges/ noch zukünftiges/ weder Engel noch Fürstenthum/ noch eine einzige Creatur mich scheiden soll von der Liebe Gottes die da ist in Christo Jesu meinem Herrn/* Benedictionibus denique & Precationibus Sacris, omnigenâ morientium Fidelium dulcedine ex-

uperantissimis, à moribundo, deficiente ex virium defectu sermone, vel manuum complicatione, vel elevatione, vel simili signo externo, obfirmatis denuo & tandem expiratione Beata obsignatis. Expiratione scilicet facta in fide illa genuina & unice salvifica, quam ab ineunte sua ætate, per omnem omnino suam, etiam sumè provec̃tam ætatem professus est, inter alia, Symbolo universæ vitæ mnemonevtico: *Hic (Iesus Crucifixus) est vita mea & salus*; ad petatum ejus, ipsimet sepulchro, per imaginem Crucifixi Arcæ ferali imponendam infigendamque, inferendo: expiratione factâ in anno ætatis octogesimo & quinto, mensæque, qui illud superat, octavo, die XXV. Maji, Anni in hoc seculo currentis, ejusque diei hora sexta matutina, quâ more hoc in loco usitato signum dabatur publicum ad preces sacras excitans & admonens, quamque adeo cæteras inter horas vigidis adhuc vitæ diebus & valentibus devotioni suæ sacræ dicaverat. Atque sic quidem percipimus hactenus, Cives O. O. H., circa Beati Nostri extrema & expirationem & obsignationem vitæ ejusdem benedictam, productisque paulò ante in medium circumstantiis, devotissimam constantissimamque compositionem animæ suæ, intra breve temporis spatium e corporis habitaculo discessuræ, ad stationem suam conditionemque in sinu Abrahamæ triumphaturam; restat tantum adhuc, ut percipiamus itidem, quomodo & corpus, in quo habitaverat hic in domo Sionis sacra beatè sic composita illa anima, quomodo, inquam, & corpus illud, quibusve ex causis, sese paulatim compoluerit ad imminentem gradatimque ingruentem à Spiritu

ritu

ritu inhabitante solutionem, & quidem ex designatione Viri Illustriſ, Prænobiliſſimi, Experimentiſſimi, DN. JOH ERNEſTI SCHAPERI, Medicinæ Doctõris & Profeſſ. Publ. non domeſticis tantum, ſed & exteris, donis ſuis inuſitatis commendatiſſimi, SERENIſſIMI DVCIS MECLENB. REGENTIS, Archiatri & Conſiliarii Aulici Splendidiſſimi, Affinis Colendiſſimi, Fautoris Æſtimateſſimi, Collegæ Honoratiſſimi, pauciſſimis quidem linearum retinaculis, ponderoſiſſimis tamen verborum momentiſ concepta pariter ac ſequenti tenore conformata: *Beati noſtri Senis & Verbi Divini Miniſtri fideliffimi morbus, erat calculoſa renum progenies, cum qua per multos annos conſtictatus, ſed ſapius ſapiusq; victor exiit, uſq; dum ſenio conſectus & à calculi utriuſq; genere, tam quod arenulis concretis quàm quod pituita acri purulenta ſe manifeſtat, ſuperari videbatur. Siq; uidem cum annorum majori numero, major ab utroq; adveniebat ipſi moleſtiarum dolorumq; concurſus, quo rerum ſtatu, ultima portio vitæ doloriſſime & tandem ſine viribus conſumebatur, ut & morbus & ſenium in mortis voluntatem conſentirent, & ſic inani Medicaminum vel optimorum efficacia, morti occumberet & placide exſpiraret & Æger & Senex. Dum igitur ſic occubuit placidèque exſpiravit quoad partem ſuam mortalem Beatus Noſter, ſenectutiſ ſummæ ejusque ſummopere moleſtæ, vitæque hujus maximè calamitoſæ omnimodè ſatur, quoad partem ſuam immortalẽ ſimul victorioſus vividuſque in æternuſ abiit ad ornamentuſ fidelium Eccleſiæ Doctõrum cœleſte, idq; auguſtiſſimuſ, eodemque æterniſ illiſ delectatur fructibuſ juſtitiæ perfectè ibi be-*



atæ, quos hic teneræ primùm juventuti in Schola,  
postmodum simul & gravioribus in Ecclesiâ Audi-  
toribus ingenuè prorsus & diligenter inculcavit:  
Zelo flagrat, ut ardentissimo ita purissimo notitiæ  
divinæ, quam hic ex parte prædicavit, ex toto pa-  
tentissimæ, amoris divini, quem hic ex parte com-  
mendavit, suo in genere perfectissimi; solatio re-  
creatur dulcissimo æque ac uberrimo, quod ani-  
mabus hic sæpius tentatis & tristibus, pro modulo  
viatorum instillavit; benedictionis fruitur copia,  
eaque & beatissima & abundantissima, quam con-  
stitutus hic ad benedicendum, animabus fidei suæ  
commisissis assiduè pariter ac fideliter impertivit;  
virtute gaudet omnium integerrima, æternum in-  
concussa, cujus efficaciam & ipse sæpius in sua per-  
sensit infirmitate, verboque & ministerio virtutis  
fidelibus suis communicavit; visione lætatur beati-  
fica, eaque omnium gloriosissima, quam adumbra-  
vit quidem hic quadantenus ovibus suis, nunquam  
satis explicavit, nec pro imperfectione hujus vitæ  
explicare potuit. Sic quoad nobiliorem sui partem  
ascendit, per semitas graduum Sacrorum pariter ac  
Ecclesiasticorum ritè recteq; calcatas, ad Tutamen-  
genuinorum Ecclesiæ Ministrorum omnium ma-  
ximè exornatum & tranquillum, quippe ubi, di-  
cente *Augustino*, gaudium sine mœrore, requies sine  
labore, dignitas sine tremore, opes sine amissione,  
sanitas sine langvore, abundantia sine defectione,  
vita sine morte, perpetuitas sine corruptione, be-  
atitudo sine calamitate; vel dicente *Audœno*, ubi  
summa semper securitas, secura felicitas, felix li-  
bertas, libera beatitudo, nulla tristitia, nullus labor,  
nullus

nullus dolor, nullus timor, mors nulla, nulla malitia, nulla carnis miseria, nulla ægritudo, nulla necessitas, lætitia certa, requies secura, pax vera, jucunditas infinita; ad præmium quoque ascendit ingenuorum in vinea Domini operariorum fulgissimum, quo, *Bernhardo* dicente, Deum perpetuò videt ad voluntatem, cum Deo jugiter vivit ad voluptatem, incessanter in Deo subsistit ad jucunditatem, circa Deum splendidè viget in æternitate, fulget in veritate, gaudet in bonitate, ad præmium denique suavissimæ societatis Angelorum, felicitatis Sanctorum constantissimæ, supernæ lætitiæ solennitatis, pulchritudinis omnis gloriosæ, & beatitudinis omnis æternæ.

Quod reliquum est circa Beatum Nostrum Pastorem, translatum hâc ratione quoad animam ad thronum ornatus Sacerdotalis, ejusque gloriosi, cœlestem, id omne resolvitur in officium illud, quod, exercendum est hodierno die circa corpus ejusdem exanime, quod ea, quæ Venerabili ipsius, in quo vixit, statui competit, funeratione, sepulchro suo præparato, horis consuetis demandabitur; officium nempe Humanitatis, quod exerceri solet circa Corpora demortua, ad domicilium, in quo requiescere debent, eâ, quâ fas est, compositione, transferenda; officium, quo pleni sunt Doctorum Hebraicorum monumenta, plena Paræneticorum Gentilium præcepta, plena Patrum Ecclesiæ Nov. Test. primitivæ commentaria, plena Christianorum Moralistarum Systemata atq; compendia; officium quod versatur circa corpus illud, quod in requietorio suo exspectat Resurrectionem

cor-

corporum demortuorum beatam, unionem cum  
anima ad sedem beatorum elevata, communionem-  
que, post factam in Resurrectione redunionem,  
ornamentorum, quibus fideles Mysteriorum Divi-  
norum Oeconomi in Ecclesia triumphante fulge-  
bunt, Incomparabilium æque ac in æternum exu-  
berantium. . . Ad hoc igitur præstandum quàm  
quàm benignissimè Humanitatis eminens officii-  
um Beatè defuncti Pastoris Nostri corpori de-  
mortuo, & merita ejusdem in Scholam hanc &  
Ecclesiam Rostochianam, tam Petrinam quàm Ma-  
rianam, ingenua maxime & diuturna, blandissi-  
me excitant & alliciunt, Egoq; ex officii mei præ-  
sentis tenore, Vos CIVES ACADEMICI, O. O. H.  
quàm humanissime invito, nullus dubitans, fore,  
ut intuitu, & communis hujus officii, omnibus no-  
bis & singulis mutua opera suo tempore exhibendi,  
& officiorum singularium, in plurimos ex omni or-  
dine Inclytæ hujus Civitatis adeoque & Academico,  
beneficiis Sacris integerrime collatorum, promptis-  
sima Vestra studiosissimaque frequentia, Funebria  
hæc Pastoralia, ornatiora non tantum, sed & Viduæ,  
Liberis & Propinquis Mœstissimis leniora reddere  
haud quaquam gravemini; certissimè quoque Vo-  
bis promittens, sublevatos ornamentò hõc sepul-  
chrali acerbissimè lugentes, inhonestantem hanc  
Vestram lenientemque benevolentiam, eamq; sin-  
gularem gratissimâ animi obligatione excepturos;  
omniq; data occasione (Faxit Deus lætici exoptati-  
orivè) paratissimis officiorum mutuorum eorum-  
que deditissimorum studiis dicatissi-  
mis compensaturos.

P. P. Sub Sigillo RECTORATUS Academici ipso die Exequiarum  
d. XIII. Junii A. R. S. MDCCXIV.

Conventus erit in Æde Mariana Hora I. Pomerid.










uperantissimis, à moribundo, deficie  
defectu sermone, vel manuum co  
vel elevatione, vel simili signo exte  
tis denuo & tandem expiratione Bea  
Expiratione scilicet facta in fide ill  
unice salvifica, quam ab ineunte si  
omnem omnino suam, etiam sumè p  
tem professus est, inter alia, Symbolo  
mnemonevtico: *Hic* (Jelus Cruc  
*ra mea & salus*; ad petum ejus, i  
chro, per imaginem Crucifixi Arca  
nendam infigendamque, inferendo:  
facta in anno ætatis octogesimo &  
seque, qui illud superat, octavo, die  
Anni in hoc seculo currentis, ejuse  
sexta matutina, quâ more hoc in le  
gnum dabatur publicum ad preces si  
& admonens, quamque adeo cæter  
vigidis adhuc vitæ diebus & valent  
ni suæ sacræ dicaverat. Atque sic  
cepimus hactenus, Gives O. O. H  
Nostri extrema & expirationem & c  
vitæ ejusdem benedictam, productis  
te in medium circumstantiis, devo  
stantissimamque compositionem ani  
breve temporis spatium e corporis  
scessuræ, ad stationem suam conditio  
Abrahæ triumphaturam; restat tant  
percipiamus iridem, quomodo & co  
habitaverat hic in domo Sionis sacra  
posita illa anima, quomodo, in qua  
illud, quibusve ex causis, sese paulati  
rit ad imminentem gradatimque ingr

Copyright 4/1999 XxyMaster GmbH www.xxyMaster.com  
VierFarbSelector Standard - Euroskala Offset





ritu inhabitante solutionem, & quidem ex designa-  
 tione Viri Illustri, Prænobilissimi, Experientissimi,  
 DN. JOH ERNESTI SCHAPERI, Medicinæ Doctoris & Profess. Publ. non domesticis  
 tantum, sed & exteris, donis suis inusitatis commen-  
 datissimi, SERENISSIMI DVCIS MECLENB.  
 REGENTIS, Archiatri & Consiliarii Aulici Splen-  
 didissimi, Affinis Colendissimi, Fautoris Æsti-  
 matissimi, Collegæ Honoratissimi, paucissimis  
 quidem linearum retinulis, ponderosissimis ta-  
 men verborum concepta pariter ac fe-  
 quenti tenore *Beati nostri Senis &*  
*Verbi Divini* *morbus, erat calculosa*  
*ren* *os annos conflictatus,*  
*ren* *dum senio confectus*  
*ren* *arenulis concretis*  
*ren* *manifestat, superari*  
*ren* *ri numero, major*  
*ren* *mg, concursus,*  
*ren* *ssime & tan-*  
*ren* *& senium*  
*ren* *mani Medica-*  
*ren* *occumberet & pla-*  
*ren* *Dum igitur sic oc-*  
*ren* *travit quoad partem suam*  
*ren* *nostr, senectutis summæ ejus-*  
*ren* *que esse molestæ, vitæque hujus maximè*  
*ren* *calamitatæ omnimodè satur, quoad partem suam*  
*ren* *immortalem simul victoriosus vividusque in æter-*  
*ren* *num abiit ad ornamentum fidelium Ecclesiæ Docto-*  
*ren* *rum cœlestis, idq; augustissimum, eodemque æter-*  
*ren* *nis illis delectatur fructibus justitiæ perfectè ibi be-*  
*ren* *atâ*

